



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Eius mores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

cuturæ gloriæ potiri, ad quam tantis amoris significationibus à Deo esset destinatus.

Erat quippe non accersita in eo grauitas, *Eius mores.* nec mixta leuitate alacritas, sed hilaritates etiam maximas, risumque suum semper submissionis cuiusdam ac modestiæ temperatione miscebat. Vnumquemque magnâ affabilitatis dulcedine, gratiaque alloquebatur; ac licet in agendo ferius esset & grauis, id graue tamen nemini erat, sed iucundum gratumque. Numquam auditus vel per iocum illudere vlli, aut irridere; numquam explodere quemquam, aut verbis laceffere; numquam queri, aut doloris alicuius sensu, à quoquam se fuisse læsum significare; efferuescere numquam, nedum irasci, aut vocem solito contentiorem aliquando mittere, etiamsi vigena ei esset natura spiritibusque concitata. Si quis eum laudaret, vidisses non inflari aut efferri, sed honesto suffundi rubore. In culpam vocatus, aut reprehensus, non se dabat mœrori, sed demittebat submissè animum gaudentem potius atque acquiescentem, nullaque perturbatione commotum. Non deiciebatur aduersis, aut vllis à seruiendo Deo difficultatibus absterrebat, quin potius diuinâ nixus ope, animos addebat alijs, incitabatque. Actu promptus erat, non anxius. Occasiones agendi neque celeritate nimiâ ante-

anteuertebat, neque cunctationibus, sœcordiaque corrumpebat; denique in rebus eius omnibus splendor quidam Religiosæ integritatis emicabat, qui tantam ei venerationem conciliabat apud omnes, vt vulgò non nisi summâ reuerentiâ approbationeque de eo loquerentur.

*Ordo vi-
uendi.*

Res altera quæ magno ei adiumento fuit, erat certa ac constans viuendi ratio, quam semper laudatissimam tenuit. Solebat semestribus singulis (per id triduum quo nostri negotijs ferè omnibus sibi interdicit, ad instauranda meliùs renouandaque Religionis vota) distribuere temporum, dierum, horarum etiam interualla, quibus ad res quasque erat opus. Atque hanc partitionem in proximæ Renouationis tempus obseruabat constanter: ac tunc, si vsus esset, ob diuersitatem vel habitationis, vel occupationum, eam commutabat. Quoniam verò interdium spatia quædam temporis incidunt aut abrupta aut breuia, quæ facillè incurioso alicui elabuntur, ille qui temporis scilicet erat audivissimus, peculiare quædam actiones affixerat eorum singulis, pro cuiusque duratione; prorsus vt ne momenti quidem faceret iacturam. Neque eâ temporis parcimoniâ contentus, insuper præmeditata habebat quæcumque ei incumbebant agenda: quâ nempe
ratione

*Nullum
perdit tem-
pus.*